IN TOPICA

EPISTOLA M. TULLII CICERONIS AD TREBATIUM

Maiores nos res scribere ingressos c. trebati. et his libris
quos breui tempore multos edidimus. satis digniores e cur-
su ipso reuocauit uoluntas tua. Cum enim mecum in tus-
culano esses. et in bibliotheca separatim uterque nostrum
ad suum studium libellos quos uellet euolueret. Incidisti in a-
ristotelis topica quaedam. quae sunt ab illo plurimis libris explicata.
Qua inscriptione commotus. continuo a me librorum eorum sententiam
requisisti. Quam cum tibi exposuissem. disciplinam inueniendorum
argumentorum. ut sine ullo errore ad ea ratione et uia peruenirem ab a-
ristotele inuenta illis libris contineri. uerecunde tu quidem
omnia. sed tamen facile ut cernerem te ardere studio mecum ut tibi illa
traderem egisti. Cum autem ego te non tam uitandi laboris mei causa
quam quia id interesse arbitrarer. ut eos per te ipse legeres. ut uel totam
rationem a doctissimo quodam rethore acciperes. hortatus essem. utrumque
ut ante audiebam es expertus. Sed a libris te obscuritas reiecit. Rethor autem
ille magnus. haec ut opinor. aristotelica se ignorare respondit. Quod qui-
dem minime sum admiratus eum philosophum rhetori non esse cognitum.
Qui ab ipsis philosophis praeter admodum paucos ignoretur. Quibus eo minus
ignoscendum est. quod non modo rebus his quae ab illo dictae et inuentae sunt alli-
ci debuerunt. Sed dicendi quoque incredibili quadam cum copia tum etiam sua-
uitatem. Non potui igitur tibi saepius hoc roganti. et tamen uerenti.
ne mihi grauis esses. Facile enim id cernebam debere diutius. ne ipsi iu-
ris interpreti fieri uideretur iniuria. Etenim cum tu mihi meisque multa sae-
pe cauisses. ueritus sum ne si ego grauarer. aut ingratum id. aut
superbum uideretur. Sed dum fuimus una. tu optimus es testis quam fuerim occupatus.
Ut autem a te discessi in graeciam proficiscens. cum opera mea nec res p. nec amici uterentur.
nec honeste. inter arma uersari possem. ne si tuto quidem id mihi liceret. ut ueni
ueliam tuaque et tuos uidi. admonitus huius aeris alieni. nolui deesse ne tacitae

Cassiodorus in libro de artibus ac disciplinis liberalium litterarum de dialectica: Topica aristotelis uno libro cicero transtulit in latinum. Cuius commenta [illegible] .viii. libris exposuit. Nam eadem topica aristotelis [illegible] .viii. libris in latinum uertit eloquium.